

Miretur quis, unde tantum momenti queat esse in Philosophia, cum non raro constet eos, qui de possessione illius se iactant, à communi sensu recedere & euadere ad ciuilem uitam ineptiores. Sanè ita persæpe accidere non inficior, Necesse propterea est, accurate discernere inter adulterinam & synceram Philosophandi rationem. Hactenus se Scholæ in friuolis quibusdam cauillationibus & argutijs, quibus prorsus nihil bona rei suberat, occuparunt. Quas si quis Philosophiam uocari debere contendat, fatendum equidem duco perniciosum eius esse studium. Quem enim in uitæ cultu fructū tam frigida & steriles nugæ adferre possunt? Cæterum quanto hæc e mentito nomine Philosophia futillior, suoq; merito contemptior est, tanto illa altera uetus, erudita & pura nobis, uel ex se ipsa, uel ex Ciceronis prædicatione commendatior esse debet, Comparata siquidem tota ea est, non ad inanem garrulitatem aut ostentationem, sed ad indagandæ ueritatis, & in explicando perspicuitatis amorem, ad formandæ de rebus iudicia, ad moderandos animorum impetus, & ad monstranda diuinitatis uestigia in natura. Ad cuius doctrinæ tam liberalis, tamq; multis modis necessariae culturam, studiosos eo libentius, in hanc iam commonestationem ingressus horror, quòd certò sciam, Celsitudinē Tuam non flagrare immensa solum cupiditate iuuandæ rei Literariæ, uerum insuper etiam in hoc serio incumbere, meditariq; quibus rationibus, in stante hoc bellorum metu, malisq; inundantibus tot alijs, cælesti Literarum donum retinere queamus. Præstaret quàm plurimos in hoc Germanici Imperij Senatu esse, qui exemplo Celsitudinis tuæ prorsus heroico, curam, animumq; huc intenderent. Neq; sanè leuiter de natione nostra mereris, qui in hac tanta morum corruptione, addam & in tam magna quorundā Dei beneficia non agnoscentium ruditate, amentia, & rabie, penè unus inter tam multos, laborem & fidem eorum, qui cum eminentes uirtute sint & doctrina, ueterum scripta uel instaurant, uel dignum aliquid lectione commentantur, præmijs, subsidijs, & honoribus

noribus